







בשם אלוף נשורי:

DE

ISMAELITARVM

IN CONFINIO ISRAELITARVM HABITATIONIBVS  
EX GEN. XXV, 18.

D I S S E R T.

S I M V L Q V E

V I R O

SVMME REVERENDO AMPLISSIMO

DOCTISSIMO

GOTTHOLD PITSCHMANNO

L A V B A N E N S I V M

HVCVSQVE

ARCHIDIACONO LONGE MERITISSIMO  
VIGILANTISSIMO

FAVTORI SVO MAXIMOPERE  
C O L E N D O

M V N V S P A S T O R I S

I B I D E M

*alio.*

P R I M A R I I

BENEVOLE IPSI DEMANDATVM ET IPSIVS ANNI  
PRIMORDIIS INCEPTVM

E X A N I M O G R A T V L A T V R

M. IOHANN. CHRISTIAN. SCHVBERTHVS.

L I P S I A E

LITTERIS IACOBAEERIANIS.

1787  
DE  
ISMALITARYM  
IN CONFINIO BRACITARYM HABITATIONIBVS  
EX GEN. XXV. 11.  
D I S S E R T.  
S I M V L Q V E  
V I R O  
SVMME REVERENDO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO  
GOTTHOLD PITSCHMANNO  
LAVRANENSIVM  
ARCHIDIACONO LONGE MERITISSIMO  
AVTORI SVO MAXIMOPRE  
M V N V S P A S T O R I S  
L I B R I  
P R I M A R I I  
BIBLIOTHECAE HUIUSDEM ET HUIUS ANNI  
PRINCIPALIS INCEPITVM  
P R A E F A T I O  
M I C H A E L C H R I S T I A N S C H W E B E R T H Y S  
L I B R A R I A





V I R  
SVMME REVERENDE,  
AMPLISSIME ERVDITISSIME

FAVTO AD CINERES VSQVE DEVENERANDE.



Quod praestantissimum veri Theologi Ὁ ἐπίσκοπος τῆ ποιμνίᾳ τῆ  
Θεῶν elogium Gregorius Nazianzenus (Tom. II. opp. fol.  
153. ed. Paris.) de Basilio M. scribit:

Βροντὴ σῆο λόγος ἀσροπὴ δε βίος

Sermo tuus tonitru, vique fulgur erat

Tibi, Vir Summe Reuerende prae omnibus debere, omnes qui Te norunt,  
vno ore fateri coguntur. Tua enim in docendo perspicuitas, in admonen-  
do grauitas, in solando suauitas, ita in muneribus Tuis elucent, vt dubius  
euadam, quamnam harum praecipue laudem. His omnibus talem  
viuendi consuetudinem coniungis, qualis eum decet, cuius symbolum verba  
Apostoli: Presbyterum studere debere σώζειν εαυτὸν καὶ τὰς ἀκούοντας αὐτοῦ:



quam imaginem docendo & viuendo egregie hucusque expressisti. Innumeros coetus Laubanensium Sacer sislit testes, quorum animus, quorum verba eadem multo praeclarius pronunciant, quod ego, timidus ne contra modestiam Tuam peccem, satis praedicare nec possum nec audeo. Munus ipsum, quod ipsis anni auspiciis publice es auspicatus Pastoris Primarii omnibus palam reddit, quantus sit amor qua tota Lauba merito Te deuenatur. Munus quo GVDII (Euergetae mei post fata nunquam satis laudandi atque colendi) praestanti doctrina, praeclara pietate, & omnibus commendando studio functi sunt, Tibi demandatur, quo subeundo nullum digniorem fuisse, sapientissimum Patrum Laubanensium Te eligendi consilium testem esse, si dicam, satis est. Pietas & religio mea erga Te summa publice Tibi vota vouere me iubent, qui tot tantisque a Te beneficiis affectus iam diu publice hoc testandi occasionem magno cum ardore optavi. Is, cuius nutu & iussu novum hoc humeris Tuis impositum est munus, ecclesiae Christianae auctor & protector Tibi vires diesque concedat, studio tuo gloriae eius promovendae pares. Fungere, vir Summe Venerabilis hoc novo munere, quo Te meritorum cumulus jam diu dignissimum fecit, quam diutissime Salvus, Sospes, viribus mentes corporisque quotidie repetitis suffultus, & eodem, quem hucusque percepisti, felici in munere successu fructuque exhilaratus, quo coetus Christi doctrina Tua imbutus, inspectione vigilantissima Tua, felicissime gubernetur & augeatur. Viue, vale meque in posterum amare perge. Ceterum quam nomini Tuo consecraui, Tuoque iudicio submissi dissertatiunculum hancce qualicumque diligentia elaboratam, ita accipias & iudices, non quo novum quid dicam; sed ut Tibi in tradendis repetitis his cogitationibus tantum ostendam, Beneficia Tua benignissime in me collata non prorsus in indignum collata fuisse. Lipsiae. Kalend. Ianuar. 1757.







§. I.

numquam satis Dei benignitatem laudare possumus, quae non solum voluntatem suam nos saluandi in Scriptura Sacra litteris consignatam cuilibet legendam tradiderit, verum in illa tradenda etiam tanta usa sit perspicuitate, ut vnusquisque doctrinas ad salutem necessarias ex illa percipere queat. Quantam vero benignitatem praedicamus, tantam simul sapientiam admiramur, quae in reuelandis consiliis suis hinc & inde loca intellectu difficiliora, nec cuius patentia immiscueri quae, si intelligantur, quam maxime reliqua Dei oracula confirmet; si vero a indoctis non omnino capiantur nihil detrimenti in salute paranda inferant. Haec omnia maximam erga verbum coelitus manifestatum reuerentiam in nobis conferunt, simulque studium & ardorem diu noctuque illud meritandi nobis iniiciunt. Quod si e contrario omnia aperta, plana, cuius obuia essent, si homines nihil haberent in quo perscrutando ingenii vires intendere possent, vtrumque sine dubio valde languesceret. Studiose interea caueamus ne in multiplicandis difficultatibus quas in Scriptura S. dari fatemur, nimii simus, praefertim cum plurimae ita comparatae sint vt, adhibitis interpretandi idoneis praefidiis eas e medio tollere facile sit. Hinc in Theologorum scholis docemur: difficultates intelligendi S. litteras, earumque obscuritates subiectiua quidem, non obiectiua esse. Exemplo, vt haec pateant, esse potest locus Gen. XXV, in quo vltima verba versus 18, aliquid difficultatis praefertim in germanica versione: *Er siel aber für allen seinen Brüdern: habent; Multae vero & a se inuicem diversissimae Eruditorum in haec verba meditationes longe obscuriores, vt saepe fieri solet, sensum fecerunt implicatissimum, alias non adeo intellectu difficilem.*

§. II. Verba hebraica sunt: **עַל פְּנֵי כָל-אֶחָיו נָפַל** vulg. Coram omnibus fratribus suis cecidit. Interpretum plurimi in commendationibus & Glossis ad h. l. a recto aberrantes alienum prorsus Scriptori Sacro intulerunt sensum. Primo in subiecto ad quod verbum **נָפַל** referatur, deinde in verbo ipso, quo sensu sit sumendum, haerent. Quidam putant: Ismaelem de quo v. 17. Moses loquitur etiam in his verbis subintelligi debere: Ismael cecidit coram &c. Ita, cum aliis, Castalio, Clarius (conf. Criticos f. ad h. l.) Osiander in Bibl. lat. Verum nec ad verbi **נָפַל** significatum recte atenderunt, nec hoc satis cogitasse videntur, quod h. m. in vno commate duo diuersa sermonis subiecta essent. In verbis enim mox antecedentibus sermo est de posteris Ismaelis vnde valde probabile etiam in reliquis huius commatis verbis de iisdem narrationem continuari. Verbum deinde **נָפַל** interpretantur de Ismaelis morte Hieron. Osiander l. c. h. m. Superfluitibus fratribus f. cognatis mortuus est. Contra hunc sensum multa pugnant. Ne dicam meram coniecturam esse, omnes cognatos ad moribundum Ismaelem confluisse, ipsa etiam verborum series hunc sensum aegre admittit. Commate 17. mors sed v. 18. posterorum habitationes describuntur; quid iterata mortis parentis mentio opus est. Praeterea verbum **נָפַל** de morte placida dici ne vllum adhuc exemplum me reperiisse libere fateor.



ateor. Si vero de morte, quod saepe fieri notum est, dicitur, semper violentā mors intelligitur, vt Pl. XCI, 7. 2 Sam. I, 4. II, 23. Ezech. VI, 7.

§. III. Inter alias interpretationes (quas silendo praetereamus) vna prae ceteris magna probabilitatis specie sese commendat. Scilicet subiectum orationis ex praecedentibus rectissime sumit, adeoque de posteris Ismaelis (seu Ismaele Syneclogice spectato) intelligit: Sic (sed) cecidit s. ceciderunt h. e. (ex eorum mente) inferiores erant. Sensus itaque esset: Quanquam magna & numerosa erat Ismaelis familia tamen inferior fuit vi numeroque reliquis fratribus suis. Et sane non eget exemplis haec **נפל** expositio, e. g. Iob, XII, 3. XIII, 2. Sed haec exempla simul docent in tali verborum serie atque sensu verbum cum **ו** componi, vnde verba haec esse debent **נפל מִכָּל** sic Nehem. VI, 16, signit, inferior esse cum praepositione **כ** inuenimus.

§. IV. Ast, cur non potius in propria & prima verbi **נפל** significatione maneamus? Longe saltem facilius erit sensum verum inueniendi ratio. Subiectum ex verbis mox antecedentibus suppleamus: *Posteris Ismaelis* (vel Synod, Ismael quod materialiter in primo commatis membro latet;) & in verbo substantium omis- sum, quod in tali constructione saepe negligitur, intelligamus. De quibus itaque in antecedentibus asseruerat Moses: habitasse a Chauila vsque ad Sur Egyptum ver- sus, de iisdem dicit maioris Emphaseos gratia, & vt promissioni Dei Gen. XVI, 12. veritatem vindicaret, addito euentu: Hoc modo factum est, vt, cum ab Hauila ad Sur commorarentur, *in conspectu* h. e. *in consinio omnium cognatonum suorum habitarent.*

§. V. Sed, vnde haec significatio verbi **נפל** habitauit & quidem vt propria? salua res erit. Hoc verbum primo quidem redditur *cadere* cum omnibus eius compositis, decidere, incidere &c. secundum canonem exegeticum in philologia sacra maxime notatu necessarium: Simplicia hebraeorum verba compositorum simul significa- tum habere quippe quibus hebraei carent. Glassius Phil. S. III, 3, 1. Hanc verbi ideam *ccidit* ab h. l. non alienam esse, quisquis mecum, vti spero, consentiet, qui substantium omissum ex aliis locis supplet. Duo maxime sunt, quae huic loco accommodata putarem vel **הַבְּרִים** ex Ios. XVII, 5. Pl. XVI, 6. vel **בְּנַחֲלָה** ex Iud. XVIII, 1. Ios. XIII, 1. Num. XXXIV, 2. Psalm. LXXVIII, 55. vtraque vox ad- dita legitur, & phrasis tropica statim in seq. verbo proprio **שָׁבוּ** explicatur. Aliud substantium supplere vult Aben Esra in Bibl. Buxdorf, ad h. l. nempe **חֵלֶק** vel **גִּזְרֵי** (quicum consentit Varenius in Decad. Mos. ad Gen. Dec X, loc. 7. 5-8) verba Esra sunt: **נְפִלְיָהוּ חֵלֶק או גִּזְרֵי או שְׂרֹב בְּנֵי יִשְׁמָעֵל מִמְּקוֹם אֵל מְקוֹם** Verum חֵלֶק nuspam in V. Test. cum **נפל** coniunctum inueni, verum cum verbo **היה**. Ios. XIX, 9. Num. XVIII, 20. Vox **נורל** quando de *possessione* dicitur, *sorte destinata* verbo **יצא** עליה passim coniungitur. Duo cum **נפל** loca notavi Nehem. XI, 1. ibi vero de sorte proprie dicitur: Sorte eligebant decimum quemque qui Hierosolymis habitaret, 1 Paral. XXVI, 13. 14. sed & h. l. melius reddi puto: Sorte eli- gebatur qui custodias portarum templi ageret.

§. VI. Ipse diuinus Scriptor Mose, optimus horum verborum erit interpres. Omnino cum h. l. comparandus est cap. XVI, 12. ibi verba ita fluunt: **עַל מִכָּי כָּל אֲרָזֵי יִשְׁכָן**. Horum locorum, quem inter se habent, parallelismus apparet p. ex si-



militudine verborum, Tantummodo unico verbo discrepant, Deinde, quod maxime parallelisimum confirmat, obseruamus: Deum cap. XVI, praedicere & promittere fata Ismaelem manentia, cap. XXV, euentum narrari talem fuisse, qualem Deus praedixerat: Ismaelis posteros ita esse auctos, vt circa omnes reliquos ex Abrahami familia ortos sedes suas habuerint.

§. VII. Contextum huic expositioni vehementer fauere paucis tantummodo adducam, Diuinus historicus in eo est, vt omnes Abrahami posteros enarret; quod consilium ita persequitur vt p. Sarae p. reliquarum vxorum liberos nominet, Ab his initium facit v. 1-6, Deinde mortem Abrahami tanquam in parenthesi v. 7-10, commemorat. Postea v. 11-16, maioris natu filii Ismaelis & eorum, qui ab eo originem duxere, qui proceres familiarum fuere, nomina recenset. Comm. 17, parenth. Ismaelis mortem narrat, Eorum regiones v. 18, quas incoluerunt, definit: ab Chavila vsque ad Sur in vicinio Egypti positus; coronidis tandem loco, vt omnia simul complectatur addit: In facie h. e. coram, in confinio, omnium fratrum suorum h. e. eorum qui ex Abrahamo descendunt, habitauerunt Ismaelitae.

§. VIII. Si veteribus Iudaeis credere fas est, qui sensum grammaticum optime nos docere possunt, illi in versionibus antiquis, quas euoluere licuit sensum §. VI. illustratum confirmant; & haec verba cap. XXV, 18. iisdem verbis vt cap. XVI, 12. vertunt. Paraphrasis Chald. Gen. XVI, 12. est: **על אפי כל אהויה ישרי** & cap. XXV, **על אפי כל אהויה ישרי** — **על**. priori loco in futuro altero in praeterito eodem verbo expresso, *ei ó κατά πρόσωπον πάντων τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ κατοικήσει* sic cap. XVI, & in nostro loco *κατά πρόσωπον κατοικήσει*. Nec aliter Syrus **לפני אפי כל אהויה ישרי** Gen. XXV, & Gen. XVI. ibidem **לפני אפי כל אהויה ישרי** in

Fut. Peal **לפני אפי כל אהויה ישרי** alias plane totidem verbis vtitur. Vnde haec mira veterum consensio veniat aliquis mirari posset. Forte in codice hebraeo cap. XXV. pro **נפל** legitur **שן**. Sed cum ne minima similitudo inter haec verba quae confusionem & mutationem horum verborum parere potuisset, adfit, nos coniecturamur, sensum potius quam verba, qui facilis est si locum Gen. XVI. conferimus, reddidisse. In Pentateucho Samaritano etiam est **נפל**, alios eorum forte sententiae subscripturi efsemus, qui (apud Carpzov: in Crit. S. P. II. c. 2. §. 4. n. 2.) putant: ex pentateucho Samaritano has versiones compositas fuisse.

§. IX. Nec reliqua verba huic sensui repugnant, **על פני** saepissime habet vim particulae & si ad locum vel personam referatur significat *coram, in confinio*. 1 Sam. 26, 3. Gen. 25, 9. & v. 18, Sur e facie h. e. in confinio Egypti, describitur. Qui locorum situs confirmatur ex Exod. XV, 22, ibi Israelitae ex Egyptoeducti trajecto sinu arabico qui in finibus Egypti est, statim veniunt in deserto a loco nostro Sur denominatum. Eodem modo 1 Sam. XV, 7. Chavila vero, est terminus septentrionalis Arabiae, non procul a monte Libano, vt vult Clericus in Comment. ad h. l. Si quaeritur de vocibus **על פני כל אהויה ישרי** quinam fuerint facillima erit responsio. Scilicet **אפי** denotat omnes cognatos & consanguineos quocunque gradu affinitatis coniunctos. Saepe etiam qui sunt eiusdem generis & gentis. Exod. 11, 11. IV, 18. &c.

Hinc



at hinc Iudaei in v. T. se invicem salutant nomine: *Fratres*; Et Christiani in N. T. eodem hebraismo vocantur *ἀδελφοί*. E. h. l. fratres eius sunt omnes Abrahami posteruli ex Sara, Keturā.

§. X. Ex historia quoque expositio haec (§. VI.) magnum pondus accipit, ex qua constat has gentes se invicem locorum propinquitate semper conjunctas vixisse. Multis quidem nebulis haec historia adhuc est circumfusa cum veterum monumenta adhuc reliqua non omnino absolutam narrationem relinquunt. Interim ex scripturae S. dictis haec de gente hinc & inde inspersis potissimum colligere licet: Ismaelitas, Midianitas, & qui sunt reliqui non ita noti populi, cum Iudaeis commercia habuisse, nec procul ab his remotos fuisse. Primo ante omnia tenendum esse puto in describenda harum gentium regione: eas certas & fixas vix raro habuisse sedes, sed potius cum pecora alerent, ubicunque pabulum invenirent, tentoria in deserto fixisse, ibique mansisse; quod Aben Elra supra cit. confirmat. „quod multitudo filiorum Ismaelis proficiscentes (suere) ex hoc loco in locum alium, Ps. v. CXX, 5, & Ier. XLIX, 29. leguntur *tentoria Kedar*. Kedar fuit filius Ismaelis Gen. v. XXV, 13, cuius posterii in tentoriis commemorantes interdum appellantur Scenitae. Haec sportatiles domus non obstant, quo minus ad fines Israelitarum habitarent Ismaelitae: ita tentoriorum nonnunquam mutantur, regionem vero & plagam terrae eandem sine dubio semper servarunt. Deinde Scripturae S. mos est & consuetudo ut Ismaelitas, qui sese cum aliis populis ita miscerent, ut vnus videretur, alio insigniat nomine praesertim *Midianitarum*. Sic Gen. XXXVII, 25, coll. 27. & 28. item Iud. VIII, v. 24, coll. 28. Quae observatio credere nos movet in vnam plane coaluisse has gentes ex Keturā & Hagare prognatas, quae coniunctim iuxta regiones reliquorum Abrahami posterorum habitarent. Quod praesertim quoad Israelitas locus Iud. VIII, corraguit, in quo auctor libri Iudicum cladem Israelis a Midianitis seu Ismaelitis illatam texponit. Ex quibus duo potissimum colligimus, 1) in immanem numerum excrevisse Ismaelis posteros, coll. Iud. VII, 12, secundum promissionem diuinam Gen. XVI, 12. & c. XVII, 20; 2) ad fines Iudaeorum tentoria fixisse adeo ut propter locorum vicinitatem facile in Iudaeorum terras irrumpere possent.

§. XI. Quae omnia, si summam coniungantur, quae, ut sensum huius loci: *Ismaelitae in consinio cognatorum suorum habitaverunt* confirmem, illustrationis causa attuli; non probabilem tantum, sed vnicum verum verborum sensum esse, firmiter me persuadent. Verba sic optime fluunt, grammatica consentit, verborum series non refragatur, simulque, quod tanquam verum asserere mihi (§. I.) summi: multas Scripturae S. difficultates adhibitis idoneis & necessariis interpretandi praelidiis depelli, hoc exemplo, ut spero, satis probatum cedi,

Dum haec prelo iamam subiecta erant, ad manus mihi venit explicatio h. d. noua M. Koernerii Past. Bockav: quae inserta legitur: in *Vermählungen in theol. Wissensch. einiger Diener d. g. W. in d. Zwischweitschen Inspect. Leipj. 757. p. 107. seqq.* S. t. Ismael der *Widerschrist*: „Ismael adverbatur posteris Abrahami animo infideli; persequendo veram religionem, abnegando agnitam veritatem, vastando earum regiones &c., Tempore & spatio exclusus totam hanc piam & eruditiss. meditationem meumque qualemcunque laborem iudicio B. L. relinquo.



Ms. A. 12. 11

ULB Halle

3

003 006 867



f  
SB









B.I.G.

Farbkarte #13

כּשֵׁם אֱלֹהֵי נְעוּרָי;

49

DE  
ISMAELITARVM  
IN CONFINIO ISRAELITARVM HABITATIONIBVS  
EX GEN. XXV, 18.

D I S S E R I T.

S I M V L Q V E  
V I R O

SVMME REVERENDO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO

GOTTHOLD PITSCHMANN

LAVBANENSIVM

HVCVSQVE

ARCHIDIACONO LONGE MERITISSIMO  
VIGILANTISSIMO

FAVTORI SVO MAXIMOPERE  
COLEND O

MVNVS PASTORIS

IBIDEM

*av.*

PRIMARI I

BENEVOLE IPSI DEMANDATVM ET IPSIVS ANNI  
PRIMORDIIS INCEPTVM

EX ANIMO GRATVLATVR

M. IOHANN. CHRISTIAN. SCHVBERTHVS.

LIPSI AE

LITTERIS IACOBAEERIANIS.